Spero ab Humanitate tua, Nobilissime et Amplissime vir, veniam longiori mora; quippe quae non ab incuria nata fuit, sed praeter opinionem apud parentes protracta ob gravioren causam. alias religio mihi fuisset, non tempestive solvendis debitis adeo officij fidem, qui cuncta Ampl. Tuae obsequia et jure debeo, et serio addixi. Ut hesternâ die huc pedem retuli, è vestigio inquisivi in Grammaticas Espenianas; dumq; eas modo petitum irem ab autoris affine, obtulit se mihi Brosterhusius; qui nactum se esse Graecam, eamq; vel missurum vel perlaturum dixit. Nolui eripere amico, neqq invidere debui hanc sui quoq in Te studij probandi materiam. non potui tamen non aliunde implere locum à me relictum. duplex igitur Archimedaeum naturena mitto, ab insigni Mathematico Ghetaldo Ragusino demonstratum; cujus lectionem, uti digniorem; ita gratiorem Ampl. Tuae futuram spero. Et quo soluti debiti tarditatem aliquo saltem auctuario compensare enitar, postquam tum de Ioanne Dee Anglo, tum de aenigmatica abstrusiorum artium traditione, summis quibusdam magistris celebratâ, nuperus inter nos sermo fuit; non ab re fore duxi, in utrumq; simul argumentum quedam proferre è locis coibus magni in primis et praeclari viri D. Philipp. Marn. Albegondi. qui loco quodam de se in hunc modum scribit. Cum ab illustr. Holl. et Zel. Ordin. Londinum missus essem legatus, profectus sum navigio Mortlacum Angliae vicum, ad D. Ioannem Dee abstrusae et admirandae scientiae virum, ejusq; bibliothecam varijs et vetustissimis libris refertam vidi, et inter extrema cum de Abbate Trithemio incidisset sermo, neq; librum ejus de Steganographia vidisse confessus essem, neq; posse aliud statuere, nisi carminibus magicis et spiritum invocationibus librum eum conscriptum; ut me opinione illâ liberaret, ostendit codicem manu scriptum,

cui

cui nomen est ἄγιος, è quo existimarat et quidem pro explorato, plerique sua. Sanctum Trithemium, propterea quod vaides prorsus rationem et idem prorsus argumentum pertractarat, ostendique de eo, quae de bonorum malorumque et mundanorum angelorum putarunt esse nomina, characteres signarum, quibus veterum sua sapientia illi occultarunt. Deinde liber ille in duas partes distribuebatur. quarum prior erat quasi quaedam ad reliqua legenda et intelligenda introductio. da autem declarari, quid quisque spiritus significarent. bonos enim, qui ad rei intelligentiam facerent; malos deinde, qui eam ipsam obscurarent reddeberntque. eorum nomina plerique de literarum sono conficta esse credere et alia ejusmodi. alter et praecipuus liber continebat tabulas decussatis ipsos characteres, quibus illa sapientia clausa est. Sub ejusmodi velo etiam videtur latere Cornelij Agrippae Philosophia, qui Trithemio familiaris fuit. ideoque Sand censendus est operam ludere Oedipus ille Albertus Girardus, quam explicandis istiusmodi gryphis nabat. Nobi et tibi, velut in oi arte; ita quoque in hisce arcanis Lynceos esse oculos; posseque te ingenij lumine si voles, discutere nobis similes nubes, soli veritatis obductas. Ego vero doleo mine tantum possum quod ejusmodi Orientalium libros quondam Constantinopoli oblatos; quia meris fabulis et superstitione magica constare videbantur, contempsi prorsus et rejeci. Sed desino morari serias gravesque cogitationes tuas libris hisce rebus, ea tamen Sand aliena mihi esse videbantur ab ipsa, quam mitto Ioannis Dee apologiam. nam in vita Magus audiebat, apud cordatos etiam viros: et quidem, si genuina et antiqua vocis significatio observetur, magus, id est, sapiens vera fuit.

Vale vir Amplss: et hoc quidquid est, a qui tuique consule.
D. Hubertus cognatus tuus, uxorque et liberi salutem tibi; et matronarum decori, conjugi tuae, plurimam dici jubent; perennem et felicem indique ego quoque utrique vestrum, et universae familiae vestrae, a Deo Opt. Max. ardentibus votis precor, et dum vivam, precabor semper

Dabam Lugd. Bat. IIII Id. Ian. MDCXXX

Nobiliss: Ampl. Tua

Offerdantzeing
J Golius

Germanum illum, cujus nuper meminimi, cognovi organopoeus esse. plura de illo forte Vossius offerat, sed minora expectatione tua, atque opinione mea. tentabo tamen an quid Sabaot, quod promeruit vidobatur.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 12-13
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0487

Nobilissimo et Amplissimo
Viro, Domino Constantino
Huygens, Equiti et Illustrmo
Aurasionensium Principi à
Secretis

10. Jan. 90.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 12-13
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0487